



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

626. An Archidiaconus sit beneficium, cui incumbat cura animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

3. Tertio dicitur quoque Vicarius Episcopi intitulus & perpetuus. Laym. *loc. cit.* item legitimus. Laym. *ibid.* veluti à lege seu jure factus & constitutus. Sbroz. *loc. cit.* num. 15. Lotter. *l. 1. q. 28. num. 119.* Laym. Fagn. *ll. cit.*

4. Quarto dicitur à Lott. *l. 1. q. 28. n. 129.* Vicarius specialis Episcopi; eò quòd sit Vicarius cum limitata facultate ad duo tantum contenta in *c. 1. de off. Archid.* cum tamen textus citati *cap. sic* habeat: ut Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus, & omnem curam in Clero (tam in urbe positorem quam in vicariis, qui per parochias habitare non solum) ad se pertinere, sive de eorum conversatione sive honore & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina ecclesiasticorum vel ceterarum rerum studio & delinquentium rationem coram Deo redditurus est &c. Verum dilucidantur hæc omnia melius per sequentes quæst.

Quæstio 624. In quo Archidiaconus (maxime consideratus secundum statum illius antiquum, seu secundum potestatem & jurisdictionem, quâ pollebat antiquitus vigore antiquorum Canonum, qua de cetero hodie dum, ut dicitur postea, valde sunt imminuta) differat à Vicario generali Episcopi?

1. **R**esp. Differentiam illam facile ex jam dictis colligi. Nam primò, ut dictum, cum Vicariatus officium à jure annexum sit inseparabiliter Archidiaconatus, nequaquam ad illud Archidiaconus ab Episcopo assumitur. Dum è contra ab homine nempe Episcopo (etsi juxta institutionem & auctoritatem Canonum) constituitur Vicarius generalis, estque ab eo ad nutum amovibilis; adeoque merè temporalis & non intitulus. Barbol. *loc. cit.* num. 36. Pirh. *ad h. r. n. 2.* Laym. *ad c. 1. h. r. num. 3.* citans Butrio *ad c. ad hac. h. r.* Sbroz. *de off. Vicar. l. 1. q. 3. num. 15. & 16.* Host. *in sum. tit. de off. Deleg. num. 2.*

2. Secundò (quod ex præcedente sequitur) quòd Archidiaconi jurisdictio ordinaria directè proveniat à lege, indirectè & mediatè ab homine, quatenus nimirum Episcopus instituit Archidiaconum, aut electum ab aliis confirmat, cui dein sic instituto vel confirmato, tribuitur à lege ipsa, ut dictum, jurisdictio. Vicarii verò generalis seu Officialis jurisdictio (etsi & ipsa sit ordinaria) immediatè & directè proveniat ab Episcopo create & instituite Vicarium, indirectè verò à lege seu Canone, quatenus nimirum Canones dant Episcopo potestatem seu auctoritatem, Vicarium generalem cum jurisdictione ordinaria (cum alioquin, ut Maranta *de ordin. judicior. p. 4. diff. 5. num. 51.* citatus à Laym. & AA. communitè in *l. penult. ff. de Judic.* nullus inferior Princeps officium suum seu jurisdictionem suam rotam alteri committere possit) Laym. & Pirh. *ll. cit.* ex Hostiens. *loc. cit.*

3. Tertio: quòd Archidiaconus officium habet ab Episcopi officio separatum, ejusque officium Episcopus ipse exercere non possit. Vicarius verò generalis exequatur ea, quæ aliàs ad Episcopum ex officio pertinent, & ab eo exerceri possent ac deberent; quibus tamen Episcopus ob plurimas occupationes deservire non potest. Barbol. *cit. c. 24. n. 36.* citans Narbon. *de appellat. à Vicar. ad Episc. p. 1. num. 96.*

4. Quarto: quòd Archidiaconus propriam jurisdictionem, etsi inferiorem & subordinatam Episcopo, adeoque & propriam veluti tribunal habeat, à quo juxta *c. referent. 7. de prob.* ad Episcopum appellari potest. Vicarius verò generalis & Episcopus unum tribunal seu consistorium habeant, cui nomine Episcopi præest Vicarius; adeoque juxta *c. 2. de consuetud. in 6.* ab eo ad Episcopum appellari non possit. Laym. Pirh. *ll. cit.* citantes Hostiens. *ubi ante.* Card. Tusch. *v. Vicarius concl. 482. n. 20.*

Quæstio 625. In quo differat Archidiaconus ab Archipresbytero?

Resp. In eo, quòd Archidiaconus gerat vicem Episcopi quòd ad jurisdictionem: Archipresbyter gerat vicem Episcopi quòd ad divinorum celebrationem, Fagn. *in c. ad hac. num. 9. ex Jo. And. in c. 1. de off. Archipresb. n. 1.* Quòd idem vult Card. de Luca. *de benef. d. 46. n. 5.* dum Archidiaconum dicit Vicarium natum Episcopi in temporalibus, seu jurisdictione temporalis; Archipresbyterum Vicarium natum Episcopi in spiritualibus. Verum hæc differentia constabit melius ex dicendis infra accuratius de officio & potestate Archidiaconi.

Quæstio 626. Num Archidiaconatus sit beneficium, cui incumbat cura animarum?

1. **R**esp. primò: esse beneficium. Laym. *Theol. moral. l. 3. t. 2. c. 4. n. 4.* ubi inter beneficia duplicia media numerat Archidiaconatum. Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 14. q. 4. & q. 5.* ubi expressè: Archidiaconus est constitutus in dignitate, quæ est beneficium ecclesiasticum. Siquidem beneficium respectu dignitatis ecclesiastica (qualis, ut dicitur *quæst. seq.* est Archidiaconatus) personatus & beneficii simplicis genus est; dum rectè dividitur beneficium in duplex & simplex. &c. Laym. *loc. cit.*

2. Resp. secundò: dum ex consuetudine seu usu excommunicare, suspendere, interdicere, vel etiam visitare & inquirere, quæ corrigat, potest Archidiaconus, incumbere quoque ei curam animarum, minùs rigidè accipiendò tò curam animarum; prout nimirum non solum importat jurisdictionem seu potestatem in foro interno seu penitentiali; sed & competit jurisdictioni in foro externo ecclesiastico consistenti in potestate ferendi censuras ecclesiasticas & absolvendi ab iis, nec non visitandi, inquirendi &c. Fagn. *in c. ad hac. h. r. n. 28.* Pirh. *ad h. r. n. 5.* citans Sylv. *v. Archidiacon. n. 5.* Azor. *loc. cit.* citans Jo. And. Abb. & gl. *in c. dudum. il. 2. de elect.* ubi expressè ait Pontifex: Cum in jure confessus fuerit, quòd Archidiaconus Ambianensis de consuetudine suspendit, excommunicat & absolvit Presbyteros & Priores, parochiales ecclesias interdicit, nec non Archidiaconus visitat & inquiret, quæ viderit inquirenda, & procuraciones ratione visitationis recipit, evidenter apparet, quòd curam animarum habeat annexam &c. Quòd etiam referendum, quòd dicitur *c. 1. h. r.* habere curam in Clero; tam in urbe positorem, quàm qui parochias habitant, & delinquentium rationem coram Deo redditurus sit.

Quæstio